



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Loqui quonam pacto, quando, vbiúe liceat. Can. VI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

me in tui & proximi dilectione exerceo, nec quantas deberem, gratias tibi refero, pro suavissimo illo verbo, quod dixisti per Prophetam tuum. In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te mihi miserans tui.

Hac denique ratione, & in ceteris quibuslibet virtus ac vitiosis impugnationibus sapienti quodam & suavi remedio per Spiritum sanctum potius, quam per naturam violentiam discas antiqui hostis conatus frangere, eiusque insidias eludere, omni tempore considerans te ipsum in limpidissimo speculo virtutum mearum, quam videlicet similis, quamve dissimilis mihi existas. Nam in singulis motibus in hoc viuo libro studere debes & attendere, quomodo in talibus me ipsum habuisse credar, nepe modo perfectissimo. Hic liber potissime seruit ideotis hominibus alioqui indoctis, qui si diligenter in eo studuerint, doctos quosque longo ad Deum prouenient intervallo.

Loqui quonam pacto, quando, ubi ve liceat.

CANON VI.

Quam caute loquendum
Perpetua tibi etiam consideratione manendum est in obseruatione tui ipsius hoc est, interioris hominis, vt primum verba tua penses, que loqui vis, Deumque in conscientia tua interroges, an tibi licentiam loquendi permittat, & an ipsum in hoc quaeras, aut hominibus placere velis. Hic magna diligentia opus est, donec in consuetudinem veritas certius dinoscere, quod in omnibus verbis tuis nihil aliud quaeras, quam pure Dei gloriam; & proximi tui salutem. Ita enim agere curabis cum omnibus cogitationibus, & operibus tuis. Quod si quandoque improvide loquendo in verbis offenderis, ad te ipsam mox rediens, tuam conscientiam interroga, num hac verba pure ad laudem Dei protuleris, nec ne. Et statim ipsa conscientia te securam reddet, aut arguet. At vero quoties inter loquendum senseris te non pure Deum quaerere, statim obmutesce, satius reputans coram hominibus erubescere, quam Deum offendere. Nihilominus si otiosa illa & noxia verba caute & sapienter corrigere potueris, laudandum est. Porro cum sensim huic exercitio assuesfactus fueris, statim breuissima in reuersione clare dinoscet, quid loquendum tibi fuerit, quidquid tacendum; libertate manebis in conscientia. Sed oportet te semper ad diuinum recurrere auxilium, siue quo nihil potes mentaliter hoc aliove modo. *O Domine, da mihi sapientiam, vt sciam, quid loqui siue respondere debeam ad ea, qua mihi dicuntur, siue proponuntur.* Hanc artem bene obrenta, multa bona adducet tibi pacemque internam cordis docebit te ad pisci atque possidere.

Exterioris hominis custodiae mortificationique sensualitatis ac passionum quatenus inuigilandum.

CANON VII.

Cum iam o anima fidelis eousque profeceris, vt internam cum DEO pacem sentire, & in Deo quiescere incipias, magno opere tibi necessarium est, vt exterioris hominis tui custodia & mortificationi, gubernationique in omnibus suis moribus & prauis inclinationibus (quae corruptae naturae tuae nimis profundè infixae manent, & necdum extinctae sunt) summa diligentia inuigiles, si ad aptam pacem tuam internam conseruare velis. Non enim minor est virtus parta tueri, quam parere.